AUGUSTINUS. ISIDORUS HISPALENSIS

Göttweig (?), 12. Jh.

Seite 80r

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36527
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift



revixerat. perierat et inventus est. Ubique maius gaudium. molestia
maior precedit. Quid est hoc domine deus meus. cum tu eternum tibi tu ipse
sis gaudium. et quedam de te circa te semper gaudeant. quid est
quod hec rerum pars alternat defectu et profectu. offensionibus
et conciliationibus. An is est modus earum et tantum dedisti eis. cum
a summis celorum usque ad ima terrarum ab initio usque in finem
seculorum ab angelo usque ad vermiculum. a motu primo usque ad extre
mum omnia genera bonorum et omnia iusta opera tua suis queque
sedibus locares et suis queque temporibus ageres. Hei mihi. quam ex
celsus es in excelsis. et quam profundus in profundis. et nusquam
recedis. et vix redimus ad te. Age domine fac excita. et revoca nos.
accende. et rape. flagra. dulcesce. amemus. curramus. Non
ne multi ex profundiore tartaro cecitatis quam victorinus
redeunt ad te. et accedunt. et illuminantur recipientes
lumen. quod si qui recipiunt. accipiunt a te potestatem ut filii tui fiant.
Sed si minus noti sunt populis minus de illis gaudent et qui noverunt
eos. Quando enim cum multis gaudetur. et in singulis uberius est gau
dium quia fervere faciunt se et inflammantur ex alterutro. Deinde
quod multis noti multis sunt auctoritati ad salutem et multis
preeunt secuturis. ideoque multum de illis et qui eos precesserunt
letantur. Absit enim ut in tabernaculo tuo pre pauperibus accipiantur per
sone divitum aut pre ignobilibus nobiles. quando potius infirma mun
di elegisti. ut confunderes fortia. et ignobilia huius mundi elegisti.
et contemptibilia et ea que non sunt tamquam si sint. ut ea que sunt eva
cuares. Et tamen idem ipse minimus apostolorum tuorum per cuius linguam
tua ista verba sonuisti. cum paulus proconsul per eius militiam
debellata superbia sub lene iugum christi tui missus esset regis
magni provincialis effectus. ipse quoque ex priore saulo paulus
vocari amavit ob tam magne insigne victorie. Plus enim